

DIVI HIERONYMI PRESBYTERI IN SEPTIMUM

Commentariorum Esaie ad Eustochium

PROLOGVS.

Epitimus liber, idem iuxta anagogen secundus est, imo extremus. In hoc enim decem uisionum topologica explanatio terminatur: quem cum tuis Eustochium precibus, & Christo auxiliante compleuero, ueniam ad octauum: & utramque explanationem iuxta priores, usque ad quartum, libros pariter explicabo.

COMMENT. HIERONYMI IN ESAIAM PROPHETAM LIBER SEPTIMVS.

Nus Damasci.) Symmachus & Theodotio, assumptio Damasci, iuxta uerbum contra Damascum, addentes de suo, quod & in Moab fecere principio. Damasci primum nomen in Gene si legimus: Qui ante Isaac fuit uernaculus Abraham, & putabatur heres, nisi esset Saræ filius ex promissione generatus. Interpretatur autem, aut sanguinis osculū, aut sanguinem bibens, aut sanguis cilicii: quæ omnia populo conueniunt ethnicorum, qui ante fidem Christi amicus erat sanguinis, & crudelitatis, & digna opera planctu agebat & facio. In dierum libro narrat historia, quod impleto anno ascenderit contra Ioas regem Iude exercitus Syriæ: & uenerit in Hierusalē, & omnes principes populi interfecerit: cunctamque prædam miserit regi Damasci, qui cum paucis uiris uenerat: & deus tradiderat in manu eorum multitudinē magnā nimis: eo quod reliquissent dñm deum patrū suorū. Quod iuxta anagogen & futurorum typi cōsiderandum est, utrius ad tempus dñici aduentus referre ualeamus. Post finem. n. anni acceptabilis, in quo a saluatore est euangelium prædicatum, ascendit de Damasco gentium exercitus in paucis uiris contra Iudæ & Hierusalem, qui reliquerant dñm, & oēs eorum legis ac prophetarum abstulere diuitias, & miserunt regi Damasci, uiris scilicet ecclesiasticis, & doctrinæ euangelicæ, qui ad comparationem totius mundi, adhuc tunc infidelis, & in toto orbe dispersorum Iudeorum, paucierat: & tamen dñs tradidit Hierusalem in manibus eorum, eo quod dereliquissent dei filium, qui per prophetas ante prædictus est. Ego ob hanc causam reor, & Saulum qui postea Pauli ex uirtute nomen accepit, quia æmulator erat legis, esse Damascum, & cōtra credentes ex gentibus pugnare uoluisset, ibique superatum, eos secutum qui in Damasco uersabantur: ut inde rursus Hierusalem Iudæos expugnaturus ascenderet. Nec alicui uideatur esse contrarium, si in Paralipomenon libro lecta de Damasco, & nūc in Esaia tria prædicentur: quia et de ipso Israel, qui certe portio dei est, nunc aduersa, nunc prospera nunciatur.

Ep. 2. b Et quō est Israel iuxta carnem, & ad gentes dicitur: uos gentes iuxta carnem, qui dicimini præputi ab ea

quæ appellatur in carne circumcisio: sic ecōtrario est Israel iuxta spiritum, & sunt gentes iuxta spiritum, & inter ceteras gentes est Damascus iuxta spiritum: ne tantum Iudaicis fabulis acquiescamus.

b ¶ Ecce Dama. &c.) Sicut in titulo demonstratum est, per Damascum uocatio gentium significatur, quæ amabant uel bibeant sanguinem, quæ post q̄ in Christū crediderint, pristinae conuersationis ciuitates esse desissent: & erunt sicut aceruus lapidum in ruina. Quomodo enim acerui lapidum, qui in agris dispersi sunt, in unum tumulum comportantur, sic de uniuersis nationibus aceruus creditum congregatus est in ruina populi Iudæorum, illis cadentibus, & nobis surgentibus. Derelictæ quoque ciuitates מִיֶּרֶךְ, i. myricæ, ecclesiasticis gregibus erunt: ut quas Iudæi deseruerunt, nos incolamus, siue destructa idololatria extruetur euāgelium: Hoc & nostris temporibus uidemus esse completum. Serapium Alexandriæ, & Marne templum Gazæ, in ecclesias domini surrexerunt, & ciuitates Aroer euangelicis gregibus præparatae sunt. Aroer, idest myricæ, nascuntur in desertis locis: iuxta illud quod scriptum est in male dictione eius hominis, qui cōsedit in homine, & a domino recedit cor eius. Erit, inquit, quasi myricæ in deserto, & non uidebit bonum cum uenerit, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra saluginis & inhabitabili. Alii uero dicunt ex hac arbore maleficis artibus pleni, odia concitari. Ergo qui prius erant in deserto gentium, & in odio nominis Christiani, Christi gregibus seruiunt: qui requiescent in eis, & non erit qui exterreat, quia dominus habitabit inter eos, & præsentē pastore, lupum timere non poterunt: Tunc cessabit adiutorium dei ab Ephraim, qui in hoc loco intelliguntur scribæ & pharisei, iuxta Olææ prophetiam, qui contrarios populo dei, Ephraim nominat. Et regnum cessabit a Damasco, ut nequaquam peccatum, & peccati princeps diabolus regnet in Damasco, quæ prius sanguinem diligebat: sed reliquæ Syriæ, idest eorum, qui ex gentibus crediderunt, sint, sicut prius fuerant filii Israel: ablato ab illis regno dei, & tradito gentibus, quæ faciunt fructum eius, sicut dominus deus exercituum locutus est per omnes prophetas suos. **c ¶** Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob &c.) postq̄ reliquæ Syriæ fuerint, sicut quondam fuerat gloria filiorum Israel, & delicto eorum salus gentibus data: tunc attenuabitur oīs gloria Iudæorum,

gloria

Hier. 48. a

Osæ 5. et 8

Matth. 21. d

Rom. 11. b